



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm

Capilla, Andrés de

Coloniae, 1607

Quando noctu excitamur. Exer. 63

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)

inimicorum suorum vigilet : ne unquam gloriantur quod prævaluerint aduersus eam.

*Oblatio.*

**O**fferemus Deo Patri , somnum illum quem pro nobis **C H R I S T V S** in cruce moriens quemque in sepulchro mortuus , ad tertium vsque diem coepit , vt per illum somnum nostrum ad honorem suæ diuinæ maiestatis suscipiat.

*Quando noctu excitamur.*

Exercit. 63.

**Q**ui Deum super omnia ex animo diligunt, molestè ferunt, se diu diuinæ maiestatis memoria priuari : & quia dum homo somnum capit, hac memoria caret, solent hi, vt huic miseræ medeantur, vel somnum paucissimum capere, vel somno ita indulgere, vt sæpe excitentur, atque Angelo custodi se commendare, vt sollicitus sit ipsos monere, quo  
patris

patris sui optimi, qui non dormit, neque dormitat, sed sua paterna prouidentia super illorum custodia semper vigilat: frequenter recordentur; quod omnes qui Deo ex toto corde seruire cupiunt facere deberent: vt igitur habeant, in quibus hoc interuallo se exercent particulare ipsis exercitum suppeditabimus.

*Cantic. 3. In lectulo meo per noctem quiesui, quem diligit anima mea.*

*Psal. 118. Memor fui nocte nominis tui Domine.*

*Matth. 25. Media nocte clamor factus est ecce sponsus venit, exite obviam ei.*

*Psal. 116. Probasti cor meum & visitasti nocte.*

*Psal. 138. Nox illuminatio mea in delictis meis.*

*Conf.*

*Consideratio.*

**C**ONsiderabimus: quoties Christi somnus interruptus fuerit, propter nimiam illam anxietatem & continuas cogitationes, quibus de nostra salute sollicitus erat: Si enim desiderium & sollicitudines rerum temporalium, magnarum, in hominum curarum & cogitationum, causæ sunt: quanto magis in Christo earundem cogitationum causa erat, ardens desiderium salutis nostræ, quam, multo feruentius desiderabat quam vllus auarus diuitias.

*Gratiarum actio.*

**G**Ratias referemus Deo, quod nos dormientes custodiebat.

*Confusio.*

**P**Vdore suffundemur, considerando quam

do quam profundus fuerit somnus cordis nostri: cum plurimum temporis sine Dei memoria transegerimus: multis etiam annis è somno peccati quo sepulti eramus non euigila- uerimus.

*Petitio.*

**P**ostulabimus à Deo profundum in ipso somnum; vt in ipsum translati, omnium rerum terrenarum & nostri ipsorum obliuiscamur, & mortui mundo atque amori proprio, ipsi soli uiuamus.

*Oblatio.*

**O**fferemus Deo cor nostrum, vt in eorequiescat, & caput suum reclinet, sine metu coronæ spinæ, quæ caput ipsius coronatū est: imò deside-  
rando

rando vt ipsa cor nostrum compa-  
sionis & amoris vulneribus fau-  
ciet.

*Exercitia quedam, quaecunque  
diei vel noctis hora usurpan-  
da.*

Exercit. 64.

*Actor. 17. Non longè est Deus noster ab v-  
noquoque nostrum: in ipso enim viuimus,  
mouemur & sumus.*

*Sap. 11. Quomodo posset aliquid permane-  
re, nisi tu voluisses? aut quod à te voca-  
tum non esset, conseruaretur.*

*Consideratio.*

**C**onsiderabimus: Deum nobis  
largiri esse & vitā, nosque ab illo  
dependere, multò plus, quam radi-  
os solis à sole: nam ita ab illo pen-  
demus, vt si nos relinqueret, redire-  
mus in nihilum, de quo creati fui-  
mus.

GRA-